



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCXXXVII. An Lucifer primus inter Angelos desertores fuerit ex
supremo ordine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Conclusio est. Probabilis est fuisse supremum omnium Angelorum, qui suis supremis inter eos, qui peccauerunt.

DISPUT. CCXXXVII.

An Lucifer primus inter Angelos desertores, fuerit ex supremo ordine?

Dua opposita sententia, cap. 1.

Iudicium de vtraque opinione, c. 2.

CAPVT I.

Dua opposita sententia.

CAPVT II.

Iudicium de vtraque opinione.

Mhi sane horum Patrum, & Scholasticorum sententia ob ipsorum autoritatem probabilis videtur. Ceterum ex Scriptura nihil certum colligi potest, ut inductione patebit.

Primus locus, ex quo aliqui prædictam opinionem deducunt, est Ezech. 28. ubi Hierony. loco allegato ita legit, *In capite lapidum ignitorum ambulasti.* Existimat autem, lapides ignitos appellari angelos, inter quos Lucifer tanquam primus in capite positus fuit. Verum hanc lectionem non fuit sequutus ipse Hierony. in eo loco Ezech. in sua translatione, nec 70. ait verterunt: sed secundum vtramque lectionem; *In medio lapidum ignitorum ambulasti.* &c. Præterea quantum probet locus ille de casu diaboli, satis superque à nobis dictum est disput. 13. c. 4. ubi ostendimus iuxta sensum litteralem, verba illa accipienda esse de principe Tyri, & spirituali tantum sensu posse ad demonem accommodari. De principe autem illo dicitur, in medio lapidum ignitorum ambulasse, ut ostendatur pretiosus ornatus vestium eius, quem prius habuit in gloria regni sui: nam lapidibus pretiosis ornatus incedebat, quos ignitos propter colorem ignis appellat. Ad angelum vero accommodari debet: quia antequam ex felicissimo statu caderet, ornatus erat virtutibus & donis gratiæ. Quod si per lapides ignitos velis intelligere alios angelos: ex eo loco probari non potest, Luciferum fuisse primum angelorum, si lectionem vulgatam & 70. interpretum sequamur: sed solum sequitur Luciferum in medio angelorum, qui dicuntur lapides igniti, fuisse.

Quod vero subditur in eod. cap. de eodem Lucifer, *Tu Cherub extensus.* &c. Quibus verbis compellat ipsum Luciferum: non probat prædictam sententiam. Tum quia in sensu literali dicitur de rege Tyri, quod esset quasi Cherub, qui alias potentia suæ regnum suum protegeret, ut diximus capite illo allegato. Quare cum ad Luciferum prædicta verba applicarentur: tantum deberent deservire statum illius felicem & potentem, ex quo cecidit. Tum etiam quia, si iuxta litteram de Lucifero intelligerentur, solum inde colligi posset, ipsum fuisse Cherubinum; at Cherubini non sunt de supremo ordine, ut constat ex S. Thom. in hoc art. qui ad 1. conatur respondere huic testimonio, quod eo videretur probari, Luciferum non fuisse supremum Seraphinum, sed ex ordine Cheruborum: respondet autem, ideo appellari Cherubinum, & non Seraphinum, cum tamen esse Seraphinus: quia *Seraphin*, idem significat quod, *ardens*, & ardor charitatis non manet in demone: Cherubin, autem significat idem quod, *sciens*, & scientia mansit in demone: quæ solutio licet sufficeret, ut hoc testimonium non probaret: demonem fuisse supremum: tamen non sufficeret, nec inde colligeremus, reuera supremum fuisse. Secundum testimonium ad probandam communem sententiam esse solet illud Ezech. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei: abietes non aequauerunt summitatem illius.* Hic tamen locus de Rege Egypti intelligitur, quo ostendatur potentia & maiestas regni eius, cuius Propheta minabatur ruinam, ut ex ipso textu manifeste patet.

Non 2

Tertium

Vasques in 1. part. tom. II.

Conclusio articuli 7. licet ab Scholasticis omnibus Doctores probetur: inter Patres tamen antiquos citra controversiam non est. Nam Damas. 2. lib. de fide, cap. 4. Existimat, Angelos, qui ceciderunt, non fuisse de supremo, sed de infimo ordine. Ait enim: *Ex his Angelicis copiis, is, qui terrestri ordinis principatum tenebat cuique custodienda terra cura à Deo commissæ fuerat, non natura malus conditus, sed bonitate præditus, bonique causa procreatus, atque eiusmodi, ut ne minimum quidem vitii vestigium à creatore ipsi impressum fuisset, splendorem eum & honorem, quem creatori beneficio consequutus erat, non ferens, libera voluntate, ex eo, quod secundum naturam erat, in id, quod contra naturam erat, immutatus est.* Huius opinionis mentionem facit August. 3. lib. de Genesi ad litteram, cap. 10. Et nullam ei notam inuenit. De eadem etiam meminit 1. libro de Genesi ad litteram, cap. 19. Et statim subiungit, se non videre, ex quo loco Scripturæ ea sententia probari possit. Tandem eodem lib. 11. cap. 26. ait, eam non posse defendi.

Per plures tamen Patres affirmant, Angelum supremum inter eos, qui ceciderunt, fuisse quoque supremum inter reliquos. Ita docet Tertull. lib. 2. contra Marcionem, cap. 10. longe à principio, ubi verba illa Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis Dei.* &c. Quibus existimat lapsum demonis describi, exponit de eminentissimo angelorum, de Archangelo, de sapientissimo omnium: nomine Archangeli non intelligens secundum ordinem infimæ Hierarchiæ, sed principem angelorum: alioquin non diceret, ipsum eminentissimum & sapientissimum. Idem sentit Chrysost. in 1. tomo in homilia de Adam & Eva, non parum à principio: dicit enim; *Vnus Angelus primus, qui Sathael dictus est, malignam presumptionem assumens.* &c. Et homilia de casu primi hominis, inquit Sathael in Angelis principatum obtinuisse. In eadem sententia fuerunt Hierony. in illud Iob 40. *Ipsæ sunt initium viarum Domini,* quia Ezech. 28. scribitur: *In capite lapidum ignitorum ambulasti.* Gregorius 4. lib. Moralium cap. 13. alias 12. & lib. 9. cap. 2. ubi appellat demonem spiritum; *Author lib. 1. de mirabilibus sacre Scripturæ cap. 2. apud August. Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 2. num. 5. & Bernard. serm. 1. de Adventu,* ubi demonem appellat primum angelorum. Referunt etiam nonnulli pro hac opinione Origen. tractatu 9. in Mattheum, in illa verba, *Erunt novissimi primi.* &c. ubi Angelum, qui cecidit, appellat primum, relatum solum ad hominem: ipsum vero hominem vocat novissimum, & de illis intelligit prædicta verba, *Erunt novissimi primi.*

6.
Locus Iob
40.

Tertium testimonium esse posset Iob 40. Ipse est principium viarum Domini, quem locum non de initio secundum durationem, sed secundum dignitatem intelligendū esse notauimus supra disput. 224. c. 6. nihil tamen ex hoc testimonio, etiam hoc modo intellecto, probari potest. Nam eo capite non loquitur Iob de dæmone, sed de Behemot, quem aliqui putant animal terrestre esse: alij vero genus serpentis in aquis aut locis humenibus degentis. Quod si rationem prædictæ sententiæ communis inquiramus: cum res sit facti, non videtur aliquam posse suppetere ad eius confirmationem, cum hoc & alio modo fieri potuerit: tamen si non desint rationes congruentes, ob quas, si ita factum est, dicamus, Deum summa sapientia sua rectè permisisse primum angelum in peccatum prolabi: quibus nunc superfedere operæ pretium existimauimus.

ARTICVLVS VII.

*Utrum peccatum primi Angeli fuerit alijs
causa peccandi.*

327.
ad 6. ar. 2.
Et d. 74. in
exemplo,
lib. ad li. 2.
cap. 4.

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod peccatum primi angeli peccantis non fuit alijs causa peccandi. Causa enim prior est causato. Sed omnes simul peccauerunt, ut Damasc. dicit. Ergo peccatum vnius non fuit alijs causa peccandi.

2. Præterea. Primum peccatum angeli non potest esse nisi superbia, ut supra dictum est. Sed superbia excellentiam quaerit. Magis autem excellentiæ repugnat, quod aliquis inferiori subdatur, quam superiori. Et sic non videtur, quod dæmones peccauerint per hoc, quod voluerunt subesse alicui superiorum angelorum potius quam Deo. Sic autem peccatum vnius angeli fuisset alijs causa peccandi, si eos ad hoc induxisset, ut sibi subijcerentur. Non ergo videtur quod peccatum primi angeli fuerit causa peccandi alijs.

3. Præterea. Maius peccatum est velle subesse alteri contra Deum, quam contra Deum alteri velle præesse, quia minus habet de motiuo ad peccandum. Si ergo peccatum primi angeli fuit alijs causa peccandi in hoc quod eos, ut sibi subijcerentur, induxit: grauius peccassent inferiores angeli, quam supremus; quod est contra illud Psalm. 103. Draco iste, quem formasti, dicit gloss. qui ceteris in esse erat excellentior, factus est enim in malitia maior. Non ergo peccatum primi angeli fuit alijs causa peccandi.

In gloss. ord.
ali. Et dicitur
esse
August.

Sed contra est, quod dicitur Apoc. 12. quod draco traxit secum tertiam partem stellarum.

Respondeo dicendum, quod peccatum primi angeli fuit alijs causa peccandi; non quidem cogens, sed quadam qua exhortatione inducens. Cuius signum

ex hoc apparet, quod omnes dæmones illi supremo subduntur, ut manifeste apparet per illud quod dicit Dominus Matt. 23. Ite maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo & angelis eius. Habet enim hoc ordo diuinæ iustitiæ, ut cuius suggestioni aliquis cōsentit in culpa, eius potestati subdatur in poena, secundum illud 2. Petri 2. A quo quis superatus est, huic seruus additus est.

Ad primum ergo dicendum, quod licet simul dæmones peccauerint, tamen peccatum vnius potuit esse alijs causa peccandi. Angelus enim non indiget ad eligendum, vel exhortandum, vel etiam consentiendum temporis mora; sicut homo qui deliberatione indiget ad eligendum & ad consentiendum, & locutione vocali ad exhortandum; quorum utrumque tempore agitur. Manifestum est autem, quod etiam homo simul dum aliquid iam corde concepit, in eodem instanti incipit loqui. Et in ultimo instanti locutionis, in quo aliquis sentium loquentis caput, potest assentire ei, quod dicitur, ut patet maxime in primis conceptionibus, quas quisque probat auditas. Sublato ergo tempore locutionis & deliberationis, quod in nobis requiritur in eodem instanti, in quo primus angelus suam affectionem intelligit, illi locutione expressit possibile fuit alijs in eam consentire.

Ad secundum dicendum, quod superbus ceteris paribus magis vult subesse inferiori, quam inferiori, sed si aliquam excellentiam consequatur sub inferiori quam sub superiori consequi non possit, magis eligit inferiori subesse, quam superiori. Sic igitur non fuit contra superbiam dæmonum, quod subesse inferiori voluerunt in eius principatū consentientes ad hoc eum principem & ducem habere volentes, ut virtute naturali suam vltimam beatitudinem consequerentur; præsertim, quia supremo angelo naturæ ordine etiam tunc subiecti erant.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, angelus non habet aliquid retardans, sed secundum suam totam virtutem mouetur in illud ad quod mouetur siue in bonum, siue in malum. Quia igitur supremus angelus maiorem habuit naturalem virtutem, quam inferiores, intensiori motu in peccatum prolapsum est. Et ideo factus est etiam in malitia maior.

Conclusio est. Peccatum primi angeli fuit alijs causa peccandi non cogens, sed inducens. Cuius futura nobis est controuersia.

DISPUT.